

plus minus pedes, latitudo minor est; completur ambitu suo 300 cubicula, singula singulis gentis illius mercatoribus percommoda. *Vrbis* mœnia octo validissimis in mutuam tuitionem procurrentibus propugnaculis solidata; qua vero agros fossasque spectant, è perpetuo vivo lapide structa. Portæ operi respondent, firmitate, elegantia, æmula laude. Sunt vero universim tredecim. Accedat ultimo flumen *Scalda*, quod dum Oceano trahitur avido haustu, portentosa ad passuum sexaginta millia reciprocatione refluit. Sed & latitudo pro miraculo est, cum non uno loco, qua urbem præterfluit, mille & sexcentos pedes expleat; & respondet latitudini profunditas, pedum minimum sexaginta; ut quantumvis oneratas nullo negotio vehat, tanta exonerandi onerandique facilitate, ut nauticæ rei periti, nullam se orbe toto parem expertos testentur, cum manibus è littore, maximæ etiam onerariæ, onere quocunque levare possint. Ab hoc flumine ostia octo, sinusque octo, atque hinc navium in ipsa urbe receptacula octo, quæ & grandiores onerarias centum excipiant.

*Senatus
Populus-
que Ant-
verpiensis.*

Totius urbis gubernatio valde est affinis ei, qua crevit olim Roma. Percurrant singulos veteris illius & hujus Reip. ordines. *Interreges* quinquedialis Magistratus fuit, nec aliter, quam Comitiorum causa creatus, quasi medius inter duos reges, abeuntem & adlectum. *Interreges* vero hic nulli, nec ulli majorum ætate fuerunt. *Censores* quoque hic nulli, ac omne horum imperium penes Senatum est. *Dictatoria* potestas in Principe degit. *Consules* duo annui, summa parique potestate. *Prætoris* hic nomen deest, sed res est. Nec enim aliud oppidanus Consul, quam juris disceptator. *Judices* aut *Scabini* more Romano septem hic fuere, usque in annum 1355, cum sub Wenceclao & Ioanna Brabantia ducibus, duodecim Scabini seu *Judices* tanquam duodecim viri dati, additique sex è primis sex patritiis Antverpiensium familiis, qui *Prætorio* huic, vel duodecemviro Senatui præessent. Hodie Senatum constituunt 18 *Senatores*, inter quos Consul internus seu oppidanus, princeps Senatus in jure dicendo, additusque supra hunc numerum Consul externus, qui quicquid Politicam administrationem spectat, sedulus curaret. Duo hic urbis *Præfecti*. Primus *Marchio*, cujus viva in Romano præfecto expressio est, quem & *Triumvirum Capitalem* statuo. Alter *Amannus*, cujus curæ omnis privatarum civilium actionum disquisitio commissa est, facultasque Senatum super his conveniendi, jus poscendi, judicatum exequendi. Unus hic *Questor* seu *Præfectus ararii* est, cui eadem, quæ Romano munere, cura, erogatione concessa. *Tribunos* sive tribuum præfectos hic habes è veteri Romana formula, trium primarum tribuum, quæ reliquarum capita & principes sunt. *Tribunos militum* extra belli tempora ne quære, nisi *Gildarum* sex capita vel *Decuriones* & corporum Reip. militares duces, *tribunos* dici velis. *Tribuni* vero plebis Romana potestate hic nulli. *Ediles* hic tres. Senatorii duo,

& à Senatu dati, tertius à Principe, quatuor deinde additi è populo, qui de corruptæ rei vitio potissimum cognoscerent. Extra hos hic videas *Ediles sacros*, quibus Divorum templa concredita. Sunt hic *Magistri Monetales*. Sunt *Zugostate*, quos *Wardeins* vocant: sunt metallorum exploratores, vulgo *Assayeurs*. Sunt præfecti *monetales*, qui cudendæ præsumt moneta. Præfectus prætorio militibus præerat. Hujus loco prætoria quadam potestate præsumt hodie duo *Consules*, & è reliqua nobilitate duo, militaribus contuberniis, quæ *Gildas* vocant. *Præfectus* qui hodie cohortibus præest summa potestate Consul externus est, cui additus à Senatu Senator unus. *Tribuni vigilum* quinque sunt, vulgo *Wacht-meesters* dicti. *Curatores* hic quatuordecim Regionum, in quas urbs tota cum vicino pomerio divisa. *Vicomagistros* duos hic singulis vicis è populo præpositos habemus, vulgo *Wijk-meesters*. Varii hic *Scribae*, & ad varia munera translati. *Questorius* unus, *Edilitius* unus, *Pupillaris* unus, *Pacis* unus. *Pannarius* unus. Inter *Scribas*, *Greffarios* & *Secretarios* urbis numero. Illi quatuor sunt, & hi. Illis *Scribae* sex, his duodecim assignati. *Curatores operum publicorum* sunt *Duumviri*, vulgo *Commissi* & *Kontroleur*, quibus fora, mœnia, vici, pontes, aquæductus, similiaque urbis loca demandata. *Pensionarii* dignitate Senatoribus proximi, *Oratores publici* sunt, & voluntatis Senatoriæ interpretes.

Nemo in Senatum Antverpiensem adlegi potest, extra Brabantiam natus. Nemo alieno toro natus, nemo adulter, quod si adlecto advenit, abdicatione crimen luit, è veteri sanctione. Nemo Principi muneris alterius juramento obstrictus. Nulli patruales, matruales nulli, aut de vicinitate sanguinis innexi. Nemo, qui non annum ante solidum civitate donatus. Nulli è plebe in Senatorium ordinem adleguntur. Nemo auro sibi aditum ad Senatorios faciat honores.

Populus hic universus in tres classes divisus est, *Senatores*, *Equites*, vulgo *Doorters* & *Corpora* seu *Artificum collegia*, *Ambachten*. Et *Equites* quidem in *Urbanas Tribus* tredecim, *Rusticam* unam; *Corpora* vero in octo & viginti nobiliora collegia, quibus suffragio locus est, distributa reperio; quæ qui *tribus* voluerit, non abnuam. Isque 41 *Tribus* in Republica statuet, *Equitum* 13, *Corporum* 28. Propius tamen loquetur, qui 28 *Corpora Curias* dixerit, nam & qui præsumt *Decuriones*, vulgo *Decanos* vocant. Hæ vero *Curia* tribus continentur *tribubus*. *Nautica* prima est, *Mercia* secunda, *Pannaria* sive *Fullonia* tertia. Ac prima quidem & tertia, novem corpora, tanquam *Curias* novem, secunda decem completitur.

Præter hæc, *Militaria* quoque *Civium Collegia* instituta, quæ *Fraternitates* vocant, & vulgo *Gildas*. Duæ *ballistis* utuntur, additumque nomen *Novæ* & *Veteris*: arcu & sagittis duæ, paribus nominibus: sclopiis una: sexta gladiis.

Leges Senatus.

Militaria Collegia.